

XLIX.

18

DISPUTATIO JURIDICA

DE

SUMTIBUS
VEL EXPENSIS
STUDIORUM,

Ad l. que pater 50. D. Fam. herciscunda.

QUAM

D. O. M. D.

In incluta Academia Francofurtana
publico examini subijcit

PRÆSIDE

Clariss. & Consultissimo Viro

DN.

CYRIACO HERDESIANO

J. U. D. & Profefs. P.

CONRADUS GERHOLDUS

Servestâ-Anhaltinus

Ad d. 26 IXbris, Anni

CIO IDC XIX.

*In Acroaterio Jctorum
horis solitis.*



LITERIS

VIDUÆ VOLTZIANÆ.

Reverendo, Clarissimo & Doctissimo
VIRO,
DN. M. MARCO-FRIDERICO
VVENDELINO, JLLUSTRIS GYMNASII
Servestani Patrij Rectori, Philosoph. Pro-
fefs. ord. & p. t. Theolog.

Necnon
*Prudentissimo, Spectatissimo multarumq; rerum
usu peritissimo Viro*
DN. MICHAELI TIELHORNIO, in oppido,
quod dicitur Barby/ Consuli uti gravif-
simo, ita dignissimo,

Ut &
*Clarissimo atq; Consultissimo
Viro*
DN. JOHANNI CRAMERO, U. J. D. & P. L.
Advocato apud Servestanos
eximio.

Et denique
*Honestissimo ac integerrimo
Viro*
DN. LAMPERTO Gutt Jahren/ PHARMACO-
pæo apud Servestanos peritissimo.

Dnn. Patronis, Præceptoribus, Avunculo ac Affi-
nibus suis exercitium hoc legale in debita
observantia & amoris
signum.

*Ex incluta Viadrina
mittit*

RESPONDENS.



THESIS I.



MAGNUM studiorum esse favorem, nemo tam bardns est, qui ignoret, vel ex insigni, quæ Fridericum Imp. movit, ratione *in auth. habita, C. ne filius pro patre*, Quis enim, ait, non misereatur eorum, qui amore scientiæ exules facti de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod gra-

viter ferendum est) corporales injurias sæpè perferunt &c. ubi *Sichard. Pacius, Kilken & Rebuff de privil. studiosorum &c.*

I I.

Ex his privilegijs non exiguum est, quod filius pecuniam studiorum causa transmissam, vel alias horum causâ factam, patre mortuo in divisione bonorum conferre non teneatur.

I I I.

Quamvis enim nihil tam adversetur æquitati, quàm inæqualiter tractare eos, quos ipsa Natura fecit æquales, qui communes habent parentes & commune domicilium, l. i. *C. unde liter, l. si major 4. C. comm. divi. l. inter filios & filias C. fam. hercisc. l. maximum vitium C. de prat. lib.* atque ex inæqualitate inter liberos & fratres oriantur discordiæ & rixæ. *Rol. à Valle conf. 100. n. 17. vol. 3. Ceph. conf. 67. num. 10. vol. 1. Cacheran. decis. 23. n. 16.* attameu cùm pater liberos alere teneatur *t. t. C. de alend. liber. à parent. l. unic. §. 5. ver. fileat C. de rei uxor. act. c. ex liceris 2. extr. de convers. infideliū*, unde qui alimenta negat, necat *l. necat ff. de adgn. lib. etiam sumtus studiorum, qui alimentorū nomine veniunt, suppeditare cogitur l. qui filiū 4. ubi pup. educ. debet l. 1. ibi: in alendo eum, vel forte ad dicendum C. de infant. exp. Wesenb. conf. 80. n. 2. Pruckm. conf. 35. n. 94.* Et per consequens sicut nec ali-

A 2

menta

menta conferre tenetur *l. fm. §. 3. C. de bon. qua lib. l. 5. §. 12. ff. de adgn. lib.* Ita nec sumtus studiorum causa factos *d. l. 50. ff. fam. hercisc.* ubi *Ulpian.* expressè tradit his verbis: Quæ pater filio emancipato studiorum causâ peregrè agenti subministravit in ratione portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinet, computari æquitas non patitur.

IV.

Hujus legis atque adeò totius disputationis intellectus eò manifestior erit, quò methodicè illum juxta circumstantias vel modos còmunes observari solitos in re aliqua vel factò rectè expendendo *l. aut facta §. sed hæc ff. de pæn.* sicuti vulgari versu comprehenduntur,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando? consideraverimus.

V.

QVIS ergò sumtus primùm suppeditare cogatur, & suppeditatos non conferre innuit *Ulpian:* QUÆ Pater filio emancipato, &c. ubi Patris appellatione non tantùm Pater naturalis & legitimus venit, sed & vitricus *ex rescript. D. Gordiani Imp. in l. 15. C. de negot. gest.* Si, inquit lex, paterno affectu privignas tuas aluisti, seu mercedes pro his aliquas magistris expendisti, ejus erogationis tibi repetitio nulla.

VI.

Ratio hujus consistit in paterno affectu, qui ex eo plurimùm colligitur, quando privigni vitricum suum filiali obsequio & cultu prosequuntur, omnemque, quam patri naturali deberent, exhibeant reverentiam.

VII.

Ejusmodi verò affectus cùm præsumatur regulariter in patre naturali, sumtus studiorum causa animo donandi filio suppeditasse vel misisse videtur, secus si conditio illa adjecta reperitur, si credendi animo miserit, *ut traditur d. l. 50.* Ergò si adjecta non sit, donasse censetur, quod enim sine conditione datur, purè datum esse præsumitur, conditio tamen ista, si animo credendi, de solo emancipato intelligitur.

De eo

VIII.

De eo namq; loquitur *Ulpian.* non de suo vel in patria potestate constituto, de quo purè illa suppeditatio sumtuum accipienda est, major enim erga hunc, quàm istum præsumitur paternus adfectus, utpote qui familiam mutat, minimam capitis deminutionem patiendo *S. minima 3. ibi de tap. dimin.* deq; jure civili filius esse desinit, nec successione gaudet *S. emancipati, ibi de hereditat. que ab intestato S. emancipatos, ibi de exher. lib.* Idem est in matre eorum *l. 3. S. 4. ibi: sed in castra eunti ff. de don. inter vir. & uxor. l. advocati 14. C. de adv. divers. judic.* Quid dicendū de fratre, patruo locuplete, nec ij fratribus aut nepotibus de jure sumtus ad studia suppeditare tenentur, si quos autem fecerint, repetere aliquando, si ad pinguiorem fortunam pervenerunt, merito poterunt, nec enim heic ratio sanguinis facit præsumi donationem, *l. Procula ff. donat. nisi alia adsint.*

IX.

Veniamus ad sequentem circumstantiam, Quid scilicet pater sumtuum nomine suppeditare filio debeat; Patrimonij quantitas & cæterorum liberorum numerus, in considerationem veniet, quamvis pater vel mater totum patrimonium uni ex liberis donare possit, reservatâ alijs legitimâ *Cravet. conf. 142. n. 1. Marpurg. conf. 29. vol. 1. n. 40.* ut nec justè quis ob id parentibus succensere possit, cum secundum *gl. in l. 1. in gl. magna, circa medium C. de inoff. donat. Rol. à Valle conf. 62. n. 25. col. 1. Bertazol. conf. 57. n. 4. cum seqq.* bona ipsorum propria sunt, in tantum, ut si velint, illa in mare proijcere possunt. Sumtuum autem appellatione veniunt alimenta, vestitus, item libri necessarij, non bibliotheca instructissima, vel superflui vestitus, sicuti ille fecit, qui futura respiciens, tot sibi curavit studiorum tempore confici vestes, ut in tota vita pluribus non indigere visus fuerit. Hoc enim fit in fraudem liberorum legitimorum *Cont. l. 4. C. fam. herisc.* Aliter distinguunt Dd. inter filium factum Doctorem vel Advocatum vel non, *de quo Bart. in l. 1. S. nec castrense 11. ff. colat. Ang. in l. 9. n. 5. C. de coll.*

X.

Ubi erogare sumtus illos teneatur, non est difficile disqui-

A 3

situ,

fitu, in omnibus scilicet locis, ubi studia exercentur liberalia, sive in scholis trivialibus sive Academijs, sive in Germania, sive in Gallia, Italia, &c. quod tamen cum limitatione accipiendum est, nec autem heredes tenentur, si filius nondum jactis Grammatices fundamentis mox ad Academiam licentiæ majoris habendæ causâ convolet, vel sine consensu patris relictis Academijs Germaniæ, & vix in ijs studiorum incunabulis vel cyclopædia absoluta ad Italiam vel Galliam se conferat, solius lingvæ addiscendæ causâ, vel exercitiorum corporis; plerique enim à patria remotis in Italia vel Gallia existentibus non occurrit domesticorum negotiorum facies, sed hæc ætas à gravioribus curis se ipsa subducit, ut gratior ei sit ars equestris, cithara, spectacula, alea, cariones inquam, hujusmodi pugiles, saltatores mimi, ne de alijs loquamur magis noxijs animæ ac corpori oblectamentis quàm Professores ac viri docti; Pulchrè auctor Iconis animorum in Italia c. 6.

XI.

Certè in hac figura studiorum distinguendum rursus est inter equestris ordinis scholares, & civici, item inter eos, qui Italiam, Galliam &c. adeunt, studijs (inprimis Jurisprudentiæ, ab hujus enim cultoribus maximè illæ adeuntur, ut testantur Nationes, Patavij, Bononiæ Senis degentes, quæ maximè ex Jctis constant) jam absolutis, & eos, qui cruda adhuc trans Rhenum & Alpes sine fructu trahunt studia.

XII.

Prioris generis indistinctè Nobiles & Illustres, qui lingvis & equestribus exercitijs Militiæ necessarijs addiscendis operam navant, horum, sicut & peregrinationis intuitu, sumtus factos conferre cum reliquis fratribus non tenentur, modò modum, non excedunt, verbi gratia: Si nobilis tantos sumtus faciat, quibus Princeps aliquis vivere possit, coheres detrahere potest. Prius probatur expresso jure & rescripto Anastasij in l. 5. C. de silent. lib. XII. Jubemus, inquit, clarissimorum Silentiariorum præditos militia etsi genitorum suorum in potestate constituti, quæcunque solatiorum seu emolumentorum vel donationum, vel hæ-

vel hæreditatum nomine per militiam vel quamlibet ejusmodi causam his acquisita sunt vel fuerint, jure castrensis peculij possidere eos ea posse vel parentes superstites sibi vindicare vel auferre, vel etiam post eorum obitum, fratres vel alios eorum heredes, quasi ad defunctorum dominium pertinentia, in divisionem deducere &c.

XIII.

Idem dicendum est, quando ex civico ordine modum quoque in his, quæ politice studiosi, servarunt, quoniam ejusmodi vulgò dicti, *Caleinsche Keuter* / si in aulis ipsis contingat vivere, cæteris postea erunt ludibrio, ideò omninò in illa exercitia modicos sumtus factos conferre non tenentur; quod multò magis putamus de expensis in peregrinationem utilem ac fructuosam erogatis; Ex peregrinationibus enim, ut ait *Fr. Patricius lib. 3. de Regno*, multa audimus, multa ediscimus, multaq; oculis cernimus, quæ nulla disciplina, nulloq; Doctore unquam perdisci possunt, & *juxta Cassiodor. epist. 39.* varior. prudentiores semper habiti sunt, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi.

XIV.

QUIBUS AUXILIIS & QUOMODO sumtus illi fieri debeant, ex præcedentibus partim liquet; Quod si enim filius potando, sudendo & nimio vestitu vel etiam apud gregem, Floralis tubæ sumtus fecerit, obtentum studiorum nequaquam sunt conferendi, cessante enim causa cessat effectus & privilegium *c. cum cessante X. de app. Tiraq. in tr. cessante causa n. 203. arg. l. pen. §. fin. C. de coll. t. t. C. de cond. ob caus. & ff. de cond. dat. causa.* Prudentis autem judicis arbitrio relinquatur, & non tam ex patrimonij, quàm ex studiorum fructibus sumtus æstimet, interest enim reipubl. ne quis re suâ malè utatur §. 2. *Instit. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Malè autem uti, est sumtus prodigere in res vanas atque prohibitas, præsertim inter extraneos, unde ut obiter ex politicis hoc addamus, necessarium heic foret, ut sicut prudentis. & callidis. Tiberius vetuit, ne lapidum (ornatus muliebris) causa pecuniæ ad exteras vel hostiles terras

transferrentur, Tac. 3. *Annal.* sic subditis suis, ne ultra modum sumtus in Italiam vel Galliam, quibus illi populi ditescunt, transferunt, nostrates inungere deberent.

XV.

QVID, quod sicut olim in Republ. Rom. Senatori vel patricio non licuit sine speciali Principis indulto in peregrinis oris versari, & hodiè in ditionibus Ducis Sabaudia, tam cis quam trans Alpes, subditi Patriam tantum Academiam, quae Taurinorum Augusta est, frequentare, nec nisi consensu Principis nobiles ac Illustres alias adire possunt. Quod & in Anglia obtinet, ubi nobiles non nisi certo tempore foris emanent, reversi autem peregrinationis suae causam reddere debent. E re Reipubl. fuerit, ejusmodi mores non improbandos reducere, eo enim modo pecuniae in nostris ditionibus manerent, & Patriae Academiae forent eò florentiores, & quod in extrarios, hoc in proprios subditos redundaret lucrum.

XVI.

CUR verò Pater ejusmodi sumtus filio ferre teneatur, constat partim ex thesi 4. partim ut filij studijs incumbentes non tam patriae, quam suis ac toti familiae ornamento, sint commodiq; eruditione ac doctrina sua, cujus sanè medio omni tempore obscurae caeterae familiae incrementum atq; nobilitatem acceperunt, pulchrè *Schwarzenmeter in qq. miscell. lib. 1. c. 12.*

XVII.

Est enim literarum decus vera nobilitas, licet haec ab illa, quae ex genere est, moribus & consuetudine differat, in multis tamen concurrat, immò sanè superat, praesertim Doctoralis dignitas, de qua latè *Benius de privilegijs Juriscof. Luc. de Penna in l. Judices C. de dign. & Dd. comm. l. providendum 8. C. de postul. l. 4. de excus. tut.* Quicquid etià conetur contrastruere novissimè *Conradus ab Einsiedel in tract. suo de Regal. n. 140. & seqq. & n. 149.* ubi refutat argumenta eorum, qui Doctores nobiles esse contendunt, sed lubens doctissimo & nobilissimo Juveni concedimus, si nobile accipiat, quomodo in Germania sumitur, ubi nobilis quoque dicitur, qui nihil aliud novit nisi genus suum, h. e. aliena jactare: ibidem

ibidem n. 52. contra communem explicat. ex ordin. politic. de anno 1572. Von vnerdenung vnd kößligkeit der kleider / S. dergleichen sollen vnd mögen die Doctores vnd ihre Welber auch Kleider / Geschmuck / Ketten / Guldene Ringe / vnd anders / ihrem stande vnd freyheit gemess / tragen / ubi ratione vestitus nulla fit, ut opinatur, inter nobiles & Doctores differentia sed junguntur, dictio enim dergleichen / quæ sequitur, S. daß erslichen / vnd S. dieser jetzt erwehnter cum seq. ad precedentium horum æqualitatem & similitudinem adducit, nisi n. hoc intellexisset Imp. sine dubio & alios ordines, velut Mercatores, Consules & Senatores municipales, qui sanè contra jura, rationem & ordinem politix bene constitutæ nobiles & Doctores si non superant, æquant tamen vestitu. Quod agræ Reipubl. indicium est. Sen. nominasset.

XVIII.

QVANDO vel quamdiu ejusmodi studiorum sumtus pater erogare cogatur, distinguo inter ætates, ut in scholis trivialibus anno 18. finito vel consumto, quod tamen tempus ex profectu ratione prorogari minui potest, ad Academiam illū mittat, ubi si annos circiter sex diligenter impendit, præsertim 2. in Philosophico cursu & 4. in superiore aliqua facultate, quousq; dignus sit gradum adipisci, quo tamen multi fallunt & falluntur hodie. Interim tamen cum pro Doctore præsumatur ratione scientiæ & testimonij publici, nec sumtus factos in Doctoratum cum coheredibus conferre tenetur, *l. un. C. de per. success. per. l. 20. §. 6. ff. fam. hercisc. Bart. in l. 1. §. nec castrensis ff. de coll. bon. Castr. Jas. in l. omnimodo, §. imputari, C. de inoffic. test. Eman. Mendez in l. cum oportet 6. de bon. que lib.*

XIX.

Quod si in loco aliquo veluti Colonia ad Rhenum, Lipsiæ &c. ubi magni sumtus veniunt in Doctoratus impendendi, Lauream supremam sit adeptus, quam alibi decima eorum parte non eroganda consequi potuisset? Respondemus, heredes non teneri, nisi aliud id svadeat vel amplitudo patrimonij aut jussus vel voluntas patris, tam expressa vel tacita, quæ & inde colligitur, si jussisset filium tali in loco larem figere, vel pater etiam
eodem

codem in loco Doctor creatus sit. Quod si in testamento præcepit, ut ejusmodi sumtus conferrentur? videtur affirm. *arg. Nov. 22. c. 2. Cravetta conf. 725.* Sed Neg. *propter rationem* *h. 1. t. t. de adgn. lib.* vero apparentior, rem totâ distinctione decidemus.

X X.

Quod si post mortem patris honores istos sit consecutus, vel adhuc ad continuâda studia ex cõmunibus bonis vivat, illi omnes sumtus conferri debent, ut respondet Papinian. *in l. 15. ff. de muner. & honorib. Sichard. ad l. si familia 14. C. fam. hercisc. Bart. in l. 2. S. si in verbis C. de bon. qua liber.* ubi, Nota, inquit, quòd licet pater fecerit expensas pro filio militando, doctorando, uxorando mortuo patre, pro alio filio non debet fieri exponere de communi pro simili actu non auditur, sed debet sumtus facere in eodem &c.

X X I.

Secus est, si fratres paterna bona in divisa retinuerunt & societatem omnium bonorum contraxerunt *arg. l. 73. S. 1. l. 52. S. fin. ff. pro socio. Menoch. 2. arbitr. judic. quest. cent. 2. cas. 127.* quod eo casu verum, si superstitute adhuc patre filius legitima examina sustinuerit, & pro gradu, quod vocant, publicè disputaverit, in aliud verò tempus, (quod prudentes pauperiores faciunt, quousque conditionem, vel Junonem, quâ dignius gradum tueri possint, consequuntur) rejecerit.

X X I I.

Eo casu, quo filius bona aliunde habet, quorum administratio esset penes patrem, pater non tam censetur expensas fecisse administratorio nomine, quàm paterno, et sic non de bonis filijs, ut existimat *Bartol. Ang. Cast. in l. ff. de pet. hered. Horat. Luc. de privil. schol. priv. 27.* quam communem vocat opinionem *Gomez. in ll. Tauri n. 29. Eman. Mendez de Castro in l. cum oportet h. C. de bonis qua lib. n. 178.* quam de proprijs suppeditasse novissimè *Schiferdeker 2. disp. for. tr. 23. q. 4. arg. l. fin. C. dot. promiss. communis tamen in praxi servatur.*

COROL-

COROLLARIA SEX.

1. *Donatio simplex facta à patre filio confertur.*
2. *Obligatio ad jus rerum magis quàm personarum pertinet, atq; ita nulla obligatio potest esse sine rei vel facti interventu.*
3. *Testamentum reciprocum inter conjuges alterutrâ parte invitâ revocari non potest. Quid si mulier non adhibuit curatorem in litem? In foro Saxonico nullius momenti testamentum erit.*
4. *De gerada mulier disponere in ultima voluntate non potest; At benè potest eam inter vivos donare marito.*
5. *Filius vel adgnatus repudiatâ hereditate feudum antiquum retinere potest.*
6. *Restitutioni in integrũ ex capite ignorantia adversus prescriptionem regulariter non datur locus.*

AD PRÆSTANTISSIMUM DOMINUM
Respondentem, Contubernalem,
suum charissimum.

D Auñia perbellè dixit, me CHRISTE, Camœna
Æolium carmen modulis quæ prima Latinis
Sacravit, paulùm virtutem obscura recondit
Quam fama, & studio aut casu cælata taceretur,

Distare ignavo torpore. Notanda locuta est.

Castalius multis gustatus amysside plena

Fons est, virtutum magna insignia multis

Edita, quæ longâ verùm omnia nocte premuntur

Et laus Lethæi quorum submersa fluentis,

Fortuito aut casu nomen longo excidit ævo.

Hinc nos posteritas, qui jam sumus, esse putamus

Secula

Secula tam multa ignavo consumpta veterano
Inq; illis turpem latè regnasse Vacunam.
Nulla sui quoniam nobis monumenta laboris
Ulla suæ nec virtutis vestigia restent
Cuncta superveniens sed jam contriverit ætas.
Ergò ritè facis, C O N R A D E polite, quod edis
Signa animi ingenui virtutum & semina monstrans
Gnavus Hyantæas trahis in commercia Musas
Et nunc in medio de sumptibus ore deserto
Docta facis surgens studiorum verba theatro
Unde tibi permagnus honos & gloria surgit
Perge ita, sic claram tibi tandem aliquando Tiaram
Donabit, studijs meritum Themis alma brabæum.

*Inculco numero & invitâ panè Minerva;
benevolo tamen animo scribebas*
Johannes Hertlingus NamsL,
SiL.




ULB Halle 3
003 254 984




Sb.

W017







B.I.G.

Farbkarte #13

DICA

1679

89

BUS

NSIS

M,

rciscunda.

furtana.

ESIANO

OLDUS



Æ.